AMBROSIUS MEDIOLANENSIS

Admont, 12. Jh. Seite 127r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26121
Copyright: Admont, Benediktinerstift

noctem tolerantia laboris aderit. velut pro rachel lia inopinata coniungitur.
hanc sustinet ut ad illam perveniat si perseveranter amat. acceptis aliis septem
preceptis. ac si ei dicatur. Servi alios vii. annos propter rachel. ut sit pauper spiritu
mitis. lugens. esuriens. sitiensque iusticiam. misericors. mundi cordis.
pacificus. Vellet enim homo si fieri posset sine ulla tolerantia laboris.
que in agendo patiendoque amplectenda est statim ad pulchre contemplationis
delicias pervenire. Sed hoc non potest esse in terra morientium. hoc enim videtur significa-
re quod dictum est ad iacob. Non est moris in loco hoc ut minor habeatur prius quam
maior. quia non absurde maior appellatur que tempore prior est. Est autem in hominis
operatione labor boni operis. maiorque requies contemplationis. Ad unum enim con-
tendendum est. sed propter hoc multa ferenda sunt. Itaque due sunt uxores iacob libere.
ambe quippe sunt filie remissionis peccatorum. hoc de albationis quod est laban.
Veruntamen una amatur. et altera toleratur. Sed que toleratur prior ipsa uberius fecundatur.
ut si non propter se ipsam. certe propter filios diligatur. Labores enim iustorum maximum
fructum habent in eis quos regno dei generant predicando evangelium. Nascuntur
enim eis facilius et copiosius ex sermone fidei. quo predicant christum crucifixum. Rachel
autem claro aspectu mente excedit deo. et videt in principio verbum apud
deum. et vult parere et non potest. quia generationem eius quis enarrabit. Ideo amor
contemplativa vita appetit ut divinitatem ineffabilem cernat. vacare eius — vita
vult ab omni negotio. Ideo est sterilis quia variis pressuris non subvenit.
Sed quia et ipsa interdum procreanda caritate inardescit. vult enim docere
quod novit. Videt sororem labore agendi filiis habundantem. et dolet
potius currere homines ad eam virtutem que eorum necessitatibus consolatur quam ad
illam unde divinum aliquid discitur. Hic dolor figuratur in eo quod scriptum est.
Et zelavit rachel sororem suam. Et quia vero purus intellectus spiritalis substantie
verbis carne editis exprimi non potest. elegit doctrinam sapientie per quaslibet
corporeas similitudines insinuare divinam. Bella [Balam] quippe ancilla ra-
chel. interpretatur inveterata. De veteri enim vita carnalibus sensibus dedita
quasi imagine concitatur. cum aliquid de spiritali sapientia divinitatis audit.
Suscepit et lia filios de zelpha ancilla sua amore numerosioris prolis
accensa. Zelpha interpretatur cor [os] hiens [hians]. unde illos figurat quorum evangelica